

Ms

Domini

in octava

pasche tit

14 Ms



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

De 7

T.
II.
III.
IV.
V.
VI.
VII.
VIII.
IX.
X.
XI.
XII.
XIII.
XIV.
XV.
XVI.
XVII.
XVIII.
XIX.
XX.



EPITHALAMIA

NOBILISSIMO,
STRENO, GENEROSO
ET MAGNIFICO VIRO AL-
BERTO à WUTHENOVV ILLV-
STRISSIMI ET GENEROSISSI-
MI PRINCIPIS ANHALTINI, &c.
Consiliario præcipuo, Capitaneo Hartz-
kerodensi & Gunthersbergen-
si eximio

Nuptias celebranti

CVM NOBILISSIMA ET
PVDICISSIMA VIRGINE ANNA
MARIA Nobilissimi & inclyti viri MA-
THIAE à LATORF in Cliquen,
&c. Filia.

Deuotæ gratulationis, & subiectissimæ
gratitudinis ergò dedicata à quibusdam
in Hareynia Ecclesiæ Mi-
nistris Anno 1602.
15. Febru.

SERVESTAE
Typis Iohannis Schlerij, Anno
DOMINI Co.

NOBILISSIMO

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint markings or text at the bottom of the page.





Xpertem thalami vitã traducere honesti
Altitonãs homini cum neget esse bonũ,
Quo neget esse bonum Nympham tetigif-
se iugalem

Organon electum quaritur ore, DEL?
In promptu caussa est, nec enim quod Mysticus ordo
Damnetur Paulo, displiceat ve, puta:
Sed quia coniugium multorum mole laborum,
Oppletum est: Hic sunt & mala mixta bonis,
Optat Tarsensis sanctis ut parcere Doctor
Tempore quos duro crux premit atra, queat:
Non igitur Paulus discordat ab ore Tonantis,
Qui bona coniugio vota precatus ait:
Expediit haud soli desertam ducere vitam,
Condamus sociam sorte in utraq; viro.
Va bona qui aduerso vocitãrit nomine, claram
Qui lucem tenebras dixerit atq; nigras.
Quare gratemur jò jò clamando, nitentis
Candida quippe dies fulget ab axe Poli,
Qua par nobilium generoso stemmate cretum
Speratus casto fœdere jungit hymen:

A 2

Spon-

Sponsus Anhaltina est patria decus, ornamentum,
Nobilis & stirpis splendor honosq; sua.
Est genus à VV u THENOVV divorum semine
Quod probat antiqua nobilitatis honos: (cretū,
Ex hoc ALBERTVS prodivit stēmate sponsus,
Cuius inextinctum gloria nomen habet,
Qui decor Aonidum fama super aethera notus
Linguarum varia cognitione valet,
Ausonio notus populo, Gallo atq; Britanno
Hospes sape horum cum peragravit agros:
Hunc vidit Gallus, Lotharingus sub CHRISTIANO
Armatum hunc vidit bellipotente DVCE.
Arte potens est, Marte valet, recteq; gubernat,
Sive domi res sit, seu sit agenda foris,
Hic se PRINCIPIBV Speregreq; domiq; probavit,
Qui sunt ASCANIAE stirps generosa domus.
Quos pietas, Musa, virtus illustrat & OMNIS,
Et varium lingua quos idioma notat.
Hunc amat ASCANIVS patria pater inclytus
Qui tenet illustri patria sceptrum manu, (heros,
Non vulgare bonum est à TANTO PRINCIPe
Cui virtute parem secula nulla ferent. (amati,
Porro: sponsa viro huic electa parentibus orta est,
Quos ornat virtus nobilitasq; satis:

Est



Est genus à LATORE maiorū sanguine clarū,
 Virtutumq; choro nobilitata domus,
 Hac sata sponsa fuit formosa, venusta, parente
 Filia digna, probo digna puella viro,
 Esse puellarum decus illam nobile dicunt,
 Inter ceu stellas Hesperus ipse micat,
 Digna puella viro per tot discrimina avitum
 Auxit qui multa nobilitate genus.
 Exoptata diu precor ergo commoda tædis
 Speratam & sortem, vir generose, tuis.
 Affluat ambobus largis fortuna quadrigis,
 Diuitis accurrant munera multa Tagi.
 Vos socialis amor, vos mutua gratia iungat,
 Sit procul à vestro mæror Erisq; thoro.
 Reddite fœcundi dulcissima pignora lecti,
 Ludat ut ad vestros turba novella pedes.
 Aurea vivatis Cumea secula vatis,
 Vestra mori ut nullo tempore sama potest.
 Hac precor ex animo, faxit rata vota supremus,
 Sisq; redux nobis, magne Patrone, brevi.

ΕΥΧΗ



Ε θεός αιδρόμεον πύξας χρῶσθαι εἶναι ἐβέλαι
 Ἄρσενά κ' Ἰηλιω πλάσματ' ἀγαθα σοο,
 εἰς μίαν ἐξέλεσθαι δύο κ' ταδε σώματα σάρκα
 δύξασα, θνητῶν τῶν μερόπων π χρῶσθαι,


ΑΥ

Οις

Ὡς δὲ ἀνέμους πεταρῆτος ἴχθυαι αἰεταί
 Σπονδῆς ἢν πλοῖσι χριστὸς ἔθηκ' εὐοῖς,
 Εἶπες παμμεδέων τὰ σπέρτατα δώματα ναῶν
 Ὡς ἀρχηγὸν καλῶ πατρὸς ἀκτε πατέρ,
 Γεινοῦν τε φίλα πάντων αὐτάξιον ἄλλων
 Νυμφίον δέχου καὶ σέμματ' ὀμίον εἶς,
 Μυστῶν κ' ὕδατ' ἄγρον, κλειτὸν τε, ἐφ' ἐμῶν
 Ὅσ' ποιεῖ ἄγρια θεασάσαι τε γαμῶν
 Νύμφην σέργε κόρην γυναικῶν εὐηθέα δῶσον,
 Πρῆγμα ἔργον χερῶν μνησθήθεις τε σέθεν,
 Εὐτοκίαν παρέχε τε δόξω παλυήροισι αἰπῶν
 Καὶ δὲ τῆς εὐχῆς κήρας ἀλαλκί λείψα,
 Μακεδόνισσι δίδω χερσῶν γ' ἀργυρεῶν τε,
 Ὀλβ' ἢ βαθεῖ' ἡρήματα κλειτὰ ἀλάς
 Κλυθὶ ἰδῶν, αἶψα τε ἀναξ' ὕψιστε, μέγιστε,
 Καὶ λάβε τὰς εὐχὰς τῶν Διὰ χριστὸν ἑμᾶς.
 Οὐνομα σὲ πᾶρ' ἔρω καὶ κληθῶ ἀείσω ἔπεσσι
 Πνεῦμα εἶσι σὲ ὡς ἀλκὰρ ἐπάσθημαί.

M. Cunradus Reinhardus Ecclesiae
 Hatzkerodensis pastor.

A L I V D.


 Ravinus aurore spargit nunc Lucifer i-
 gnes
 Astraq; vicina pallida luce fugat,
 Festa dies votis optata frequentibus instat,
 En micat Eo Solis ab orbe iubar

Cingite

Cingite Pierides geniali tempora myrto
Si quando, comptis nunc decet ire comis
Sacra novo mecum celebrate iugalia versu,
Res erit hac Erato digna favore tuo.
Sponsa puellarum decus & florentibus annis
Nobilis ALBERTO iungitur ANNA suo.
Digna puella viro Themis & quem Phœbus A-
Quem pietas, virtus, nobilitasq; beat. (pollo,
In quoq; coniugij sub tempus mater Amoris
Huc ades in castis vestibus alma Venus.
Afferat & felix Hymeneus amantibus Omen,
Huc ades o tœdis connubialis Hymen.
Ecce nitent latis decorata frondibus ades,
En vocat ad caros te nova nupta lares.
Huc aditum formose feras simul igne corusco
Fax micet, o Veneris dux Hymenæe veni.
Venit & in celebri declarat gaudia pompa
Cernis ut accensas adiuvat aura faces?
Iamq; sacras sponsum cum virgine ducit in ades,
Ut rata firmetur numine teste fides.
Firmiter ergo liget vestras concordia mentes,
Flagret in unanimi mutua flamma thoro.
Vivite Nestoreos iuncti sine litibus annos
Sitq; frequens vestro fausta q; messis ager.

Ad



Ad genua alludant parui tibi sponse nepotes,
Obsequiis matrem filia parua beet.
Dum datur atq; licet blanda sua iura iuuenta
Reddite: non tardo praterit illa pede.
Quam citò deperdunt vernos violaria flores,
Aut rosa virgineo pollice tacta, decus:
Tam citò si cesses, fugit irrevocabilis aetas,
Albescit canis & caput omne comis.
Plura locuturam Musam rutilantibus adstans
Turbabat facibus connubialis Hymen.
Ille latus Sponse cingens Sponsoq; sinister
Stabat in ornatu ante cubile comis.
Cetera dicebat nostra fas voce moneri,
Quod superest orto vespere claudo thorum.

Heinricus Küne Pastor Ecclesie
Guntersbergensis.

A L I V D.



Oedera coniugij quod sint fatalia, curam
Atq; quòd attingat singula nostra Dei.
Id docet haud solum divini pagina verbi,
Pagina de vera qua pietate canit:
Sed quoq; confirmant presentis temporis actus
Tale tui, vera nobilitatis HONOS.

Nam

Nam quales gentes, quales telluris & oras
Vidisti, & quales non sine prole domos?
Anglia te vidit, vidit te Gallia in armis,
Itala te docuit noscere iura Schola.
Te vidit nostri nulli pietate secundi
Aula gubernantis Principis, aula pia.
Argentoratum te vidit, terruit hostes
Dux ubi CHRISTIANVS, Martis & Artis
Te vidit, postquã retulisti sidere fausto (HONOS.
Stirpis Anhaltina, Teutonici ora, DVCES.
Quos decorant artes, mores, idioma, virtus,
Quos ornat sanum Religionis opus.
Per mare, per terras, per tot discrimina rerum,
Per varios casus quos tua cura tulit.
Nec tamen hoc visum est tunc dextra iungere de-
Et colere antiqui iura sacra thori. (xtram,
Adfuit haud tempus diuini Numinis, illa
Adfuit haud, dederat quam tibi, virgo, IOVA.
Ergo cum video decretum tempus adesse,
Quo sacrum sanctè tendis inire iugum:
Et cerno Nympham nulli pietate secundam,
Qua modo iungatur, Vir generose, tibi.
Gratulor hanc gratis tibi quod pia fata dedere,
Quam decorat probitas, vita pudica, Genus.
Quam

Quam suavis placido comitatur Gratia vultu,
 Quam non debilitat garrulitatis amor.
 Cuius lucentes imitantur lumina stellae,
 Cuius & à toto corpore nauius abest.
 Gratulor atq; precor vobis benedicat ut ipse
 Autor radarum, vos foueatq; diu.
 Adsit Eros, procul absit Eris, vos copulet ambos
 Vna fides, qua vos sola beare potest:
 Et det quò sobolem videatis in ordine longo,
 Quae ferat aduersas res, faciatq; leues.
 Det cito, det vera Natos pietatis amantes,
 Et iuuet hoc mense ut sis redeunte Pater.
 Desino: felices traducite tempora vita,
 Fata dabunt ultrò qua mea vota volunt.

EPIGRAMMA PRAESTANTIAM
 coniugij designans.

Pulcra paludoso vernantia LILIA campo,
 Pulcra, dat Autumnus quae bona POMAE,
 (tibi.

Pulcra ROSAE suauem spirantis gratia odorem,
 Pulcra viatori GLANS & amica ioui. auum,
 Pulcer perpetuum viuens AMARANTHVS in
 Pulcer, qui digitos vestit & ornat, ONYX.

Pulcrior

*Pulcrior est coniux pia, quamuis omnia pulcra,
LILIA, POMA, ROSAE, GLANS, A-
MARANTHVS, ONYX.*

Fridericus Ianus Ecclesiae Hatzkerodanae
Diaconus. F.

A L I V D.

Melpomene si quando mihi, da dicere versus,
In mea vota veni prona Thalia peto:
Nobilis ALBERTO generoso namq; MARIA
Virgo datur multis ANNA petita procis.
Qua Deus unanimi coniunxit pectora amore
Nemo potest ullo dissoluisse modo.
Hac est ergo viro qua competit ANNA celebri
Quem decorat vera nobilitatis HONOS.
ANNA puellarum flos nobilis apta iugatur (ro.
Qui DECUS est patria LVMEN HONOSq; vi-
Sed cum non habeam quod vestris laudibus addam
Quam qua sunt semper maxima dona, preces,
Fausta precor tadis socialibus omina vestris,
Annuat o votis qui regit astra Deus.
Vos pia fata regant, vos nescia vita doloris,
Longa q; felici tempora sorte beent.

Petrus Papa Pastor Ecclesiae
Schilensis.

F I N I S.

Iste est communis...
MARA...
E...
Nobis...
V...
O...
N...
H...
O...
A...
D...
S...
Q...
T...
A...
F...
A...
F...
L...

F I N I S



Nh 1235.

oo

f



ULB Halle 3
 002 819 279



an 31 nur verknüpft JA → OL
 f1-5 # 40 Stück
 f23

VD 17 ne





XXXV



EPITHALAMIA

NOBILISSIMO,
STRENVO, GENEROSO
ET MAGNIFICO VIRO AL-
BERTO à WUTHENOVV ILLV-
STRISSEMI ET GENEROSISSI-
MI PRINCIPIS ANHALTINI, &c.
Consiliario præcipuo, Capiteo Hatz-
kerodensi & Gunthersbergen-
si eximio

Nuptias celebranti

CVM NOBILISSIMA ET
PVDICISSIMA VIRGINE ANNA
MARIA Nobilissimi & inclyti viri MA-
THIAE à LATORF in Cliquen,
&c. Filia.

Deuotæ gratulationis, & subiectissimæ
gratitudinis ergo dedicata à quibusdam
in Hareynia Ecclesiæ Mi-
nistris Anno 1602.
15. Febru.

SERVESTAE
Typis Iohannis Schlerij, Anno
DoMInI Co.